

HOTHBRODV SVEONVM REX.



HOthbodus filius fuit Regneri regis Suetiae. Hic post patrem in regium solium collocatus, suæ uirtutis multa documenta ædidit, circa annum mundi 3142. Deinde proferendi Imperij studio Orienti bellum intulit, ac post immensam populorum cladem, Aristum & Hotherū filios procreauit. Illis Geuarū quendā, egregijs sibi meritis deuinctum, Pēdagogū ascivit. Nec Orientis uictoria contentus Daniā petīt, eiusq; regē Roē tribus praelijs puocatum interfecit. His Helgo cognitis se se fortiter opposuit. primò enim præsides ab Hothbrodo immissos, missis per oppida satellitib. subegit, atq; externo dominio patriam liberauit.